



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,  
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque  
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.**

6 An ex defectu causæ Censura à iure sit nulla, vel iniusta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

## Sect. VI. Quomodo censura per sent. lata sit iniusta, &c. 69

tempore, quia illa priuatio solum censetur esse cuiusdam temporalis commodi, vel honoris; & quantum ex ea parte, quia priuat spirituali ministerio, praesertim sacrificij Missae, videatur impedire aliquem spirituale fructum, tamen & id est per accidens, quia non sub ea ratione fertur, & non est necessarium: nam ille fructus potest aliunde suppleri, tum per obedientiam & humilitatem sustinendi illam penam, tum etiam per alios spirituales actus, qui interim exerceri possunt.

Sicut etiam in exemplo supra posito, quo aliquis in penam delicti arcetur ab usu Eucharistiae pro aliquo tempore, talis pena non censetur afferre secum spirituale detrimentum, quia illam et abstinentia diuini alimenti, cum reuerentia & humilitate suscepta, solet esse valde utilis peccatori, praesertim ad breue tempus, quale semper est illud, quod cano, vel superior praescribit, quando absolute fert hanc penam pro delicto commisso. Atque ad hunc modum iudicandum est de aliis priuationibus, seu incommodis, quasi partialibus, quae in censuris includuntur. Et, quando hoc modo, seu quasi ex parte tantum imponuntur, non habent propriam & absolutam rationem censurae; & ideo absolute negamus censuras ferri in puram penam delicti commissi, quamuis non negemus aliquid censurae, seu quod aliqui ferri possent per modum censurae, illo modo imponi posse. Et quoad hoc, priorem sententiam probamus, limitando, seu explicando posteriorem.

### SECTIO VI.

*Utrum censura per legem, vel sententiam generalem lata ob defectum iustae causae nulla sit, vel tantum iniusta, & quo modo inter se haec differant.*

**Q**UOD, deficiente causa iusta, censura quoque iniusta sit, per se notum videtur: quia iniustum est, quenquam sine causa damnare: ergo & sine causa iusta, ac sufficiente, cum ratio iustitiae in aequitate posita sit. Difficultas vero est, an huiusmodi censura lata per iniustam sententiam, vel legem, valida sit aliquo modo, ita ut ad aliquid in conscientia obliget. In qua re communiter existimantur Canonistae, & Theologi, omnino contrarias habere sententias, Canonistae asserentibus talem censuram esse validam, ideoque temendam, & obseruandam, donec per absolutionem tollatur: Theologis vero contra asserentibus, talem censuram nullam esse: idemque, per se loquendo, in conscientia ad nihil obligare, sed solum ex accidente, quantum ad vitandum scandalum necessarium fuerit. Verum tamen, si recte omnia distinguantur, & authorum dicta expendantur diligenter, non opinor esse inter eos magnam diuersitatem opinionum. Ut ergo rem explicemus, dicamus prius de censura lata per legem, siue statutum, aut praecceptum Superioris tam generale, quam speciale: de his enim omnibus eadem est ratio, postea vero dicemus de censura lata per sententiam, seu condemnationem Iudicis. Et, quamuis hoc loco praecipue agamus de iniustitia vel nullitate censurae ex parte causae, propter quam fertur: consequenter vero explicabimus omnes causas nullitatis, & omnes modos iniustitiae, qui in praesenti interuenire possunt: nam haec connexa sunt, neque vnum sine aliis exacte potest explicari.

*Regula generalis pro obligatione censurae.*

**Q**UOD ergo attinet ad censuram latam per legem,

fit haec prima regula certa, & indubitata. Quotiescunque lex, vel propter iniquitatem nulla est, vel propter aliam causam actu non obligat, censura per talem legem lata nulla est, seu de facto non incurritur. In hac regula, formaliter sumpta, nulla est diuersitas opinionum, licet fortasse in explicandis causis nullitatis legis esse possit. Sed hoc posterius non proprie ad hunc locum, sed ad materiam de Legibus spectat. Probatur ergo assertio posita, tum quia accessorium sequitur naturam principalis: haec autem censura est quid accessorium, & secundarium in tali lege: ergo, si lex quoad suum principale actum praecipendi, vel prohibendi nulla est, multo magis quoad secundarium, quod est censura. Tum etiam, quia ubi non est vis directiua, non potest esse coercitiua, respectu eiusdem actus: quia finis adequatus virtutis coercitiuae, & actus eius, est executio, seu actus virtutis directiuae. Sed praecceptum, quod est nullum, non habet vim directiuam: vel si non obligat, non exercet illam: ergo nec exercere potest vim coercitiuam, ad quam pertinet censuram inferre. Denique, quia si lex nulla est, vel non obligat, prorsus aufertur materia censurae, & omnis coactionis: quia si lex non obligat, nec contumacia, nec inobedientia, vel peccatum in eius transgressione interuenire potest ablata autem materia censurae, nulla potest esse censura: sicut ablata causa adaequata, non potest manere effectus: & ablato obiecto, non potest manere actus: ergo censura per talem legem lata nullius momenti est.

Dices interdum, posse esse pure poenalem legem, quae habet vim coadiuam, non tamen proprie directiuam, cum in conscientia non obliget. Respondetur primo, fortasse nullam esse huiusmodi legem. Nam si quae sunt alicubi statuta, vel constitutiones, quae solum poenam inducant, non sunt proprie leges, sed veluti pacta quaedam, vel conuentiones, ut qui hoc fecerit, talem poenam subeat. Vel certe, si illae sunt appellandae leges, aut seipsae, & ipso iure obligant ad poenam soluendam, & illae iam habent vim directiuam, quae obligant in conscientia, non quidem definite & absolute ad vnum actum, sed vel ad hoc disiunctum: *Aus hoc non facias, aut solue hoc;* vel (quod idem est) ad conditionatum actum: *Si hoc feceris, solues illud.* Aut certe, si talis lex non obligat ad poenam ipso iure, magis obligat Iudicem ad inferendam talem poenam, quam alium subditum obliget ad sui obseruationem: vel ad summum, obligat illum ad sustinendam, & exequendam talem poenam, postquam illi iniuncta fuerit. Et, quoad hoc tantum habebit rationem legis respectu illius, quae ideo iusta esse potest, quia non imponit illam poenam proprie ut poenam: cum poena in rigore culpa respondeat, sed vel ut satisfactionem, aut restitutionem alicuius damni, vel ut moralem quandam coactionem ad aliquid agendum, vel non agendum: aliquando enim potest Superior propter bonum commune cogere ad actum, cuius commissio per se sumpta peccatum non esset. Sed de hoc alias.

Quod ergo ad praesens attinet, manifestum est, legem praecipientem, vel prohibentem sub censura, non posse esse pure poenalem: quia haec poena spiritualis est, & grauissima, quae necessario supponit culpam, & non quamcunque, sed mortalem, & cum aliqua contumacia: in transgressione autem legis pure poenalis per se non est culpa, nec contumacia, dum quis paratus est sustinere & soluere poenam: imo neque est ibi proprie & rigore inobedientia, cum non intercedat voluntas Superioris absolute obligans. Dico autem, *proprie & rigore* se: quia interdum lex talis, vel constitutio habet vim directiuam per modum consilij tantum: & tunc interuenit in eius transgressione quidam inobedientiae modus, non ut dicit culpam, sed ut dicit earentiam

carentiam cuiusdam perfectionis obedientiae, quae tamen ad propriam censuram non sufficit, ut per se notum est, & ex superioribus constat. Est ergo certa & constans dicta regula, quod, si lex nulla est, vel actus non obligat, censuram validam non inducit: neque in hoc occurrit difficultas alicuius momenti.

*Quibus ex capitibus lex possit esse nulla.*

*Lex aut est nulla ex defectu iurisdictionis.*

*Aut ex iniquitate rei praecipit.*

*Qua iniustitia requiratur ad legem nullam.*

*Obiectioni satisfact.*

**T**ota vero difficultas est in explicando, quando lex adeo sit iniqua, ut sit nulla: vel, si iniqua non sit, unde fieri possit ut non obliget: sed quia hoc, ut dixi, per se spectat ad materiam de legibus, breuiter dicendum est, ex duplici capite principali posse legem esse nullam. Primo ex defectu iurisdictionis, seu potestatis: nam lex est actus Superioris, non est autem Superior, qui potestatem, aut iurisdictionem ad praecipendum non habet: actus autem sine potentia esse non potest. Et haec etiam lex dici potest iniqua, etiam si in materia aequissima appareat, ratione abusus potestatis, vel potius ratione usurpatae potestatis. Aliud caput est ex parte rei praecipitae, si vel turpis sit, vel communi bono contraria, vel certe prorsus inutilis: tunc enim obligare non potest in conscientia, & maxime sub censura.

Solum oportet obseruare, quando prior defectus non interuenit: quia constat eum, qui praecipit, superiorem esse, & iurisdictionem habere, ut propter posteriorem defectum lex, & censura nulla existimetur, oportere errorem, & iniquitatem eius esse indubitatam, ac moraliter certam; ita ut res dubia non sit: nam in dubiis parendum est Superiori, qui ius praecipendi habet, ac possidet; & ideo conditio eius melior est: & praeterea, quia ad commune bonum hoc omnino expedit. Propter quod idem ego cenleo, licet de legis iniustitia probabilis sit opinio, aut verisimile iudicium sine temeritate formari possit: quia dummodo iustitia legis probabilioribus rationibus, vel certe aequè probabilibus nitatur, id mihi satis esse videtur, ut valida sit: & consequenter, ut obliget, & censuram inducat: alioqui cogendi essent Superiores ad nunquam praecipendum, nisi ex certa, & euidente cognitione: quod est supra humanam facultatem. Si enim subditis licet ex probabilibus rationibus formare iudicium prudens, & praeterea certum ad operandum: cur non etiam hoc licebit Superiori ad ferendam legem & praecipitum? Sicut enim ceteri homines non possunt semper habere euidentiam speculatiuam: & ideo, ne perplexi sint, & humano modo operari valeant, licite applicant ad opus iudicium probabile, cum certitudine practica: ita idem modus operandi necessarius est Superiori, qui homo etiam est, alioqui saepe esset perplexus, & multa incommoda communi bono ex eius regimine sequerentur. Quod si ipse iuste & recte ita praecipit, alij certe obedire tenentur: alioqui esset bellum iustum ex utraque parte, & Respublica gubernari non posset.

Quod si quis obieciat commune dogma Theologorum, nunquamque operari posse iuxta suam opinionem probabilem. Dicendum est, illud esse intelligendum de opinione practica probabili, id est, in ordine ad opus, & non in sola speculatione: in praesenti autem, licet possit esse vtriusque controuersia probabilis, an hoc, quod praecipitur, iustum sit, necne: tamen posita lege, iam non est probabile, quin haec lex sic lata valida sit, & iusta. Vel certe dici etiam potest, illud axioma intelligi in causa paritatis: hic autem in hoc est imparitas, quod ius & potestas Superioris praeminet, semperque praeferrí debet. Dixi autem: *Dummodo iustitia legis saltem aequè probabilibus rationibus nitatur*: nam, si

oppositum sit manifeste probabilius, etiam est valde probabile subditos posse se excusare ab obseruantia talis legis. Sed non possumus hic latius hoc prosequi: satis ergo nunc sit definire, ita esse de valore censurae, sicut de valore legis, indicandum.

Supposita tamen iustitia legis ex dictis duobus capitibus, ex duobus aliis potest contingere, quod lex non obliget, scilicet quia non est sufficienter promulgata, vel quia non est acceptata, seu vsu recepta, seu (quod perinde est) quia iam est abrogata tacite, vel expresse Superiore consentiente: quae omnia longam postulant explicationem, scilicet qualis promulgatio necessaria sit; quae item acceptatio sufficiat, vel requiratur; vel quae resistentia, aut consuetudo contraria sufficiat ad impediendam, vel tollendam obligationem legis: haec autem omnia in propriam materiam remittere necessarium est, ne ordinem perterrendo, omnia confundamus, & in infinitum abeamus.

Statim vero insurgat difficultas: nam concurrentibus his omnibus conditionibus generalibus, necessariis ad valorem, & obligationem legis, fieri potest, ut in particulari ignoretur, & tunc lex nihilominus obligabit; & tamen censura non incurretur. Sed, quia de ignorantia dicturi sumus sectione sequenti, nunc breuiter dicitur, si ignorantia sit inuincibilis totius legis, tunc ita reputari, ac si respectu talis hominis non fuisset promulgata, quantum ad hunc effectum impediendi censuram: quia omnino excusat à culpa, siue in rigore dicatur non obligari, siue tantum excusari; quod parum nunc refert. Idemque dicendum est de quocunque alio iusto impedimento, quod excuset hominem ab obligatione talis praecipit: nam, quoties excusat à culpa, excusat etiam à censura legis. In quo etiam non potest esse controuersia, praesertim quamdiu sententia iudicis, etiam declaratoria non intercessit: quia tunc neque in interno foro quisquam subiaceat censuræ, cum reuera culpam non commiserit, neque quoad Deum ligatus sit: neque in foro exteriori, cum etiam in eo non sit condemnatus. Vnde neque quoad se, neque quoad alios abstinere tenetur, quamuis scandalum semper vitandum sit. At, si ignorantia sit culpabilis, vel non de tota lege, sed tantum de censura, insurgunt aliae difficultates inferius tractandae.

*Ut censura valida sit debere legem esse iustam, quoad proportionem censurae cum legis materia.*

**S**ecundo dicendum est, ut censura lata per legem valida sit, non satis esse legem esse honestam & iustam quoad id quod praecipit, vel prohibet, sed etiam quoad proportionem censurae cum materia talis praecipit. Declaratur, & probatur primo ratione generali: quia huiusmodi lex, & in vniuersum lex omnis, quae praecipit, & imponit poenam transgressori, duo facit: ergo, ut sit simpliciter iusta, in utroque debet seruare aequitatem, nam bonum ex integra causa: ergo non tantum debet seruare aequitatem in eo quod praecipit, sed etiam in poena, quam imponit, scilicet, ut sit proportionata delicto, nam si pro re leui grauem poenam imponat, quoad eam partem iniusta erit, etiam si quoad alteram, rem iustam praecipiat. Atque ita in praesenti, si materia praecipit leuis sit, ita ut eius transgressio non excuset culpam venialem, & illi adiungatur censura maior, seu grauis, valida non erit, quia non habet materiam sufficientem, in qua fundetur. Et ideo dicunt communiter doctores, si aliquando adiungatur huiusmodi censura his leuioribus praecipit, illas non esse veras, sed comminatorias, & ad terrorem. Et in superioribus diximus earum vsum nobis non probari, quia synceram non continent veritatem,

*Quibus ex capitibus lex iniusta possit non obligare.*

*Qua ignorantia, aut impedimentum excuset à censura.*

6

## Sect. VI. Quomodo censura per sent. lata sit iniusta, &c. 71

tem & possunt occasionē præbere in doctis ad peccandum grauitur ex conscientia erronea.

10 *De ob hanc inproportionem in iniustitia non obligat ad mortem, & proportionem mortis.*  
Dices, Est in eo casu talis poena non teneat in totum, tenebit saltem ex parte proportionata culpæ: vel si culpa non est sufficiens ad excommunicationem maiorem, incurretur saltem minor. Respondetur, per se loquendo, hanc poenam censuræ imponi per modum vniuersi, & quali indiuisibili iuxta intentionem ferentis; & ideo vel tota est valida, vel nihil, nisi fortè per accidens, & propter aliquas extrinsecas rationes quoad aliquam partem interdum seruanda sit, sicut infra dicemus de censura per sententiam illata. Ed vel maximè, quod cum talis lex quoad hanc partem nulla sit, nemo ratione illius ad aliquid obligatur, sed ita se habet ac si non esset cōdita. Et ideo non habet locum illa commutatio excommunicationis maioris in minorem: quia hæc sunt censuræ speciei differentes, & tam verba legis, quam intentio legislatoris in altera tantum terminata est, vt supponimus. De qua re plura inferius, agendo de censura per sententiam lata.

11 *Materia ex se indifferens relata ad commune bonum potest esse grauior.*  
Obseruare autem oportet, in huiusmodi humanis præceptis sepe materiam eorum esse ex se indifferentem, aut leuem videri, & tamen relatam ad aliquod commune bonum, quod respicit præceptum humanum, esse grauem, & ideo, si præcipitur sub censura validam esse talem censuram, vt quando Iudex præcipit sub excommunicatione aliquem comparere in iudicio, aut cum Inquisitores vocant ad edictum audiendum, vel aliquid simile. Et ideo non facile sunt contemnenda huiusmodi censuræ, vel putandum comminatorias esse, aut solum ad terrorem. Quia sepe ignoratur grauis ratio, vel necessitas talis præcepti, quod materialiter (vt ita dicam) consideratum apparet leue, formaliter autem, & in ordine ad talem finem est satis graue: & ideo oportet (sicut dicebam in superiori assertionem) satis certo & indubitanter constare leuem esse culpam, & inproportionatam esse censuram.

12 *Exemplo in declaratione.*  
Accommodatum exemplum esse potest de his excommunicationibus, quæ communiter feruntur, vt restituantur ea quæ per furtum ablata sunt: nam si res furto sublata sit leuis, ita vt furtum peccatum mortale non fuerit, omnes docent, talem censuram non esse validam, sed comminatoriè interpretandam esse, vt in specie docuit Victoria in Summa tract. de excommunicat. num. 5. Couarruias in ca. Alma, parte 1. §. 9. num. 2. & 3. Castro libro 1. de Lege poenali, capite 6 sub finem: qui grauitur reprehendunt abusus eorum Episcoporum, qui pro leuibus furtis censuram excommunicationis ferunt. Additque Victoria: Ego credo, quod istæ excommunicationes non obligant, nisi presumatur esse mortale id, de quo feruntur: non enim de hoc dubito. Nihilominus tamen quando res tota per furtum sublata, est grauis, & ad peccatum mortale sufficiens, quamuis contingat à multis esse per leues partes sublatum (quod contingere potest absque peccato mortali alicuius) si feratur excommunicatio, (vt ferri solet) vt restituantur tale damnum, vel talis res, censetur valida excommunicatio, & obligans singulos damnificatores ad suam partem restituendam. Quia, licet in se appareat leuis, tamen in ordine ad reparandum graue damnum est grauis: & ideo, licet ablatio fortasse fuerit veniale peccatum, quia graue damnum non fuit præsumptum, neque intentum, tamen obligatio ad restituendum, quando iam constat de graui damno, & præsertim post præceptum Ecclesiasticum impositum, potest esse grauis: atque adeo transgressio eius erit sufficiens materia censuræ. Quod notauit Soto in 4. distinct. 22. quæstio. 1. artic. 2. post med. verlic. Arguitur, quamquam oppositum teneat Nauarra libro 3. de Prælit. capite 1. dub. 8. & eam tribuit Nauarro, potestque ex illo colligi in Summa capite 17. numero 3. & 130. & capite 27.

13 *De ob hanc inproportionem in iniustitia non obligat ad mortem, & proportionem mortis.*  
Num. 9. & in cap. Inter verba, 1. part. quæstio. 3. num. 180. Sed hoc nunc exempli causa dictum sit: nam agentes de excommunicatione hoc plenius examinabimus.

### Num pro qualibet culpa mortali possit censura grauis ferri.

14 *Conclusio.*  
Igitur quoties constiterit grauem censuram ferri pro veniali culpa, pro conitanti habendum est illam inualem esse. Dubitari autem potest an & conuerso sit etiam generalis regula, quoties constiterit culpam esse mortalem, validam esse censuram. Et ratio dubitandi esse potest, quia sepe talis censura est immoderata poena, etiā respectu culpæ mortalis: quia, vt supra diximus, non pro quocunque mortali potest tam grauis poena ferri. Neque etiā videtur sufficere qualibet contumacia, quia inter contumacias est magna varietas, vt notant Gerson, Castro, & Couarruias locis citatis: & licet illa, quæ peruenit ad malitiam mortalem, sub ea ratione grauis sit, in ordine tamen ad talem censuram potest esse leuis; nec potest Ecclesia tam acerbo remedio vti ad exigendam obedientiam in quacunque materia, etiam si alioqui ad mortale peccatum sufficiat. Vnde Concil. Trid. sess. 25. capite 3. prohibet ferri excommunicationes, nisi pro causis grauissimis: & auctores communiter reprehendunt Ecclesiæ ministros, qui propter leue aliquod furtum, etiam si mortale peccatum sit, eiusmodi censuras ferunt.

15 *Duplex poena est iniustitia in huiusmodi lege.*  
Sed nihilominus de nulla censura, vel excommunicatione lata per legem, aut præceptum obligans sub mortali peccato, audeam dicere nullam esse. Quia; quamuis ad prudentiam iudicis pertineat non ferre huiusmodi censuram pro quouis peccato mortali, tamen vbicumque interuenit peccatum mortale cum contumacia, est proportio sufficiens saltem vt censura valida sit: quia, cum omne peccatum mortale tollat vitam animæ, vtendo rigore non prorsus iniusto potest Ecclesiasticus iudex per censuras coercere subditum, vt pareat in quacunque res sub mortali culpa obligante. Vnde Victoria supra dicens censuram esse inualem, quæ pro furto leui fertur, statim addit: Nisi tale sit, vt presumatur esse peccatum mortale. Et ad eundem modum loquuntur reliqui auctores. Ac denique quamuis interdum esset res dubia, semper est pro valore legis presumendum, iuxta ea, quæ diximus.

16 *Quidam.*  
Quocirca duplicem iniustitiam in huiusmodi lege distinguere possumus, vnam legalem, alteram quali commutatiuam: hæc posterior interuenit quando lex imponit poenam, quam reuera non meretur eius transgressor, quia est omnino inproportionata: prior autem erit, quando, licet respectu transgressoris poena non sit omnino indebita, aut excedens: tamen respectu boni communis, quod respicit iniustitia legalis, est inordinatum medium, & fortasse etiam nociuum, cogere per talem censuram ad obseruationem talis legis. Quando ergo censura est posteriori modo iniusta, & inæqualis culpæ merito censetur nulla: quia nō tam est poena, quam iniuria, actio autem iniuriōsa quatenus talis est, non potest habere vim obligandi. At vero quando censura solum est iniusta priori ratione communi, & legali, id nō satis est vt sit nulla, quia respectu eius, cui imponitur non continet iniustitiam propriam, aut inæqualitatem simpliciter: solus autem defectus contra iniustitiam legalem per se non sufficit inualem reddendum actum: nisi intercedat ius aliquod positium irritans illum, vt in sequenti puncto iterum dicemus. Sicut etiam iniustitia legalis per se sumpta non obligat ad restitutionem, nisi admisceatur iniuria contra commutatiuam, vt hunc suppono.

Quidam

16  
Quorundam  
imitatio.

Reiicitur.

Quidam tamen limitant hanc posteriorem partem, dicentes, si praelatus ita abutatur potestate, ut passim praecepta obligantia ipso facto sub censura, seu excommunicatione multiplicet, idque cedat in contemptum Ecclesiasticae potestatis, tunc censuram inuoluntariam esse, quia repugnat praecipuo fini suo, qui est, ut Ecclesiastica auctoritas & obedientia conservetur. Veruntamen quantumvis haec praecepta multiplicentur, si in nullo illorum in particulari reperitur praedicta iniustitia quasi commutativa, sed in quolibet per se sumpto est sufficiens causa saltem mortalis inobedientiae, & contumaciae, dici non potest tales censuras esse nullas: quia nec de omnibus id affirmari potest, cum quia multum derogaret Ecclesiasticae disciplinae, & potestati, tum etiam, quia plures illarum possunt esse non solum iustae, sed etiam conuenientes: neque etiam id potest de quibusdam affirmari & non de aliis, quia nulla est disparitatis ratio. Nisi quis fortasse dicat, priores esse validas: postquam autem nimium multiplicari incipiunt, illas posteriores inuoluntarias esse. Quod sane esset improbabile, quia nullus hominum discernere potest, quando incipiat ille numerus excommunicationum esse tantus, ut censuras inuoluntarias: nisi forte, quando iam praecipuum censetur esse de re impossibili, seu repugnans superioribus praecipuis, aut quod simul cum illis impleri non possit: tunc autem defectus non solum erit contra iustitiam legalem, sed etiam contra commutativam, quia praecipit res impossibiles: tunc autem ita erit inuoluntaria censura, sicut & praecipuum ipsum. Non est autem cur in eo casu praecipuum posterius datum magis dicatur esse nullum quam prius, imo potius illa in impossibilia sunt: indicandum est posterius reuocare illud, quod prius fuit datum: quanquam interrogandus, & consulendus sit ipse praelatus, ne forte per inaduertentiam id fecerit. Quod si sciens velit omnia illa praecepta, & censuras simul imponere, tunc subditus satisfaciet, si id, quod moraliter sibi possibile est, fecerit: eritque in arbitrio eius inter ea mandata eligere quod sibi placuerit siue prius, siue posterius datum sit: tunc enim ordo temporis nihil praestat, cum potestas, & voluntas praecipietis eadem sit.

#### SECTIO VII.

*Utrum, Censura lata ab homine per specialem sententiam nulla sit ex defectu causae, vel tantum iniusta.*

1  
Censura lata  
per sententiam  
nulla sit ex defectu  
iurisdictionis  
est nulla.

**S**uperest dicendum de censura lata ab homine per propriam sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam. Et primum suppono, quotiescunque sententia est iniusta ex defectu iurisdictionis, censuram non solum iniustam esse, sed etiam nullam: quia etiam ipsa sententia nulla est. Et quoad hoc eadem est ratio de sententia, quae de lege: quia sententia est etiam actus iurisdictionis: & ita in hoc omnes conueniunt. Et hac ratione censura, lata post iure interpositam appellationem, est nulla ut infinita fere iura disponunt: quia per appellationem interpositam videtur iurisdicatio iudicis dormitare, ut dicitur in c. Pastoralis, §. Item, de Appellat. Item ex eadem radice censura lata ab excommunicato nulla est quia per excommunicationem tollitur, vel suspenditur iurisdicatio. Et sic de aliis.

*De sententia iniusta contra iustitiam legalem.*

2  
Censura lata  
per sententiam  
est nulla.

**S**ecundo suppono, duobus modis (sicut de lege dixi) sententia posse esse iniustam, primo contra solam iustitiam legalem, ut puta quia in ea ferenda

seruatus non fuit debitus ordo iuris absque alia iniustitia. De quo ordine iuris vltimus subdistinguen-  
dum est: nam quidam est accidentaliter tantum, ut est in praesenti, quod sententia scripto feratur, quod procedat canonica monitio, &c. Alius est substantialis, utpote necessarius, ut sententia valida sit, ut erit in praesenti, quod legitima citatio partis procedat: quod causa censura legitime & iuridice probata sit. ac denique huiusmodi est omnis illa conditio, quae vel iure naturae, vel ex speciali iure positio ita praescripta est: Quando ergo in sententia est defectus substantialis ordinis iuris, certum est censuram non solum esse utcumque iniustam, sed prorsus inuoluntariam: quia sententia ipsa nulla est: & sententia nulla nullum potest inducere effectum, iuxta l. 4. §. Condemnatum, ff. de Re iudicata. Et de huiusmodi defectu loquuntur multa iura, quando aiunt, sententiam esse nullam contra leges, aut canones praedictam, ut in capite primo, & capite Cum inter, de Re iudicata, & in leg. Praefes, & leg. Cum prolati, ff. eodem titulo, & in leg. prima, ff. Quae sententia fin. appellat. reuocanda, & in lege secunda, Codic. Quando prouoc. non est neces. & optime in leg. Prolatam. C. de Sent. & inter. Et huiusmodi sententia dici solet in iure esse contra ius constitutionis, quod censetur esse aliud ac esse contra ius litigatoris, ut patet ex dicto cap. Cum inter, de Re iud. & ca. Venerabilibus, §. Sine, de Sent. excommunicat. in 6. Quod tamen intelligo, quasi directe, & immediate, nam ex consequenti, & quasi remote, etiam prior reddidit in iniuriam litigatoris. Nam si quis recte consideret, talis sententia non solum est contra iustitiam legalem, sed etiam contra commutativam, ut in exemplis politis, si quis damnetur non citatus, ei sit manifesta iniuria, idemque est si damnetur non legitime, & iuridice conuictus: & in vniuersum, si per sententiam nullam condemnetur, ex quocunque capite nulla sit: quare mirum non est quod talis censura sit prorsus nulla.

Quando vero in sententia solum deest ordo iuridicus accidentaliter, tunc dici potest aliquo modo iniusta respectu iustitiae legalis, non tamen respectu commutativae: estque sententia valida, & consequenter etiam censura per illam lata, valida est: licet secundum eandem rationem iniusta sit: quia haec iniustitia non est proprie respectu eius, in quem fertur censura, sed solum respectu iuris, & boni communis. Vnde in iure interdum talis sententia absolute iusta appellari solet, ut patet ex cap. Sacro, de sentent. excommunication. Quod etiam in superioribus annotauimus, cum de forma ferendi censuras ageremus. Atque in hoc etiam nullum discrimen inuenio inter Iurisperitos & Theologos. Estque distinctio data conformis doctrinae D. Thomae D. Thomae secunda secunda, quae est, §. ad tertium.

*De sententia iniusta contra iustitiam commutativam.*

**A**lio ergo modo potest esse iniusta sententia contra iustitiam commutativam ex defectu legitima causa, quod nunc praecipue agimus. Potest autem hoc etiam variis modis accidere: duo tamen sunt praecipui. Vnus quando censura fertur sub titulo sufficientis causae, non tamen verae, sed tantum praesumptae. Alter est, quando fertur etiam sine titulo causae sufficientis: sed absolute ex causa iniusta, seu leui, & improporionata. Rursus in priori membro possunt varij modi distingui, scilicet quod sufficiens causa excommunicandi neque in re ipsa existat, neque satis probata sit in iudicio, vel solum quod causa reuera non existit, in iudicio vero probata sit, ita ut index secundum allegata, & probata legitime pronunciauerit: Quae sententia in exteriori foro, & in interiori, quantum spectat ad con-